



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Æstiva - A Dominica SS. Trinitatis, ad Dominicam decimamquintam
post Pentecosten

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Die 25. Julii. In Festo S. Iacobi Apostoli, Potestis bibere Calicem, &c. Sicut
possumus, sic debemus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44226

ita sibi subiectum tenet, ut, quidquid Christus velit, hoc anima verè pœnitens faciat & patiat, aut non sit verè pœnitens. Ergo sicut amor de Christo triumphat in cruce ita Christus de amore in anima peccatrice cruce subiecta. Unde & aliter posset concipi veritas:

Quem non perfectè pœnitet, Christi triumpho invidet.

Ratio supponit quod per se est clarum, nempe invidere Christi triumpho nihil aliud esse quàm impedire ne triumphet de nobis: quo supposito sic declarat veritatem; ille impedit ne de se Christus triumphet qui se non sinit perfectè Christo subijci, sed quem non perfectè pœnitet, non sinit se perfectè Christo subijci. Ergo ille impedit ne de se Christus triumphet. Quod est maiorem Christi obscurare gloriam quam de se possit consequi, & quam ei deberes omnibus modis procurare.

Videri potest Divus Bernardus sermone sexagesimo quarto, in Cantica, unde hæc fundamentalis propositio est eruta: *Triumphat de Deo amor*, nempe in Cruce, ubi semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse quædam plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est; Quod & fufius demonstrare est facile, per analogiam ad triumphum seu ad triumphantis proprias qualitates; quo in sensu dixit Apostolus: *Deo gratias qui semper triumphat nos; in Christo IESU*. De quo & alibi, *Expolians principatus & potestates traxit confidenter palmam triumphans illos in semetipso*. Vide & supra in hac 3. parte, Feria 5. primæ Hebdomadæ, in Solemnitate sanctissimi Sacramenti, ubi hæc habetur veritas.

Quæ hodiernum Christi triumphum res una magis illustrare debuerat, hæc una magis obscurat.

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI,

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. Matth. 20.

VERITAS PRACTICA

I. PUNCTUM.

Sicut possumus, sic debemus.

Id est.

Qua ratione tenemus nos posse bibere calicem Domini: eadem tenemur bibere.

RATIO qua tenemus nos posse bibere calicem Domini, hæc est inter alias, quod à Domino nobis offertur bibendus.

Sed ipsa hæc ratio persuadet nos teneri ad sumendum & bibendum talem calicem.

Ergo qua ratione tenemus nos posse bibere calicem Domini, eadem tenemur bibere. Quod brevius dici potest, Sicut possumus sic debemus. Sic debemus loqui & facere exemplo sancti Iacobi, quod hodie proponitur imitandum.

HIC est unus de filiis Zebedæi dictus Iacobus maior; frater germanus Joannis Evangelistæ, quorum mater accedens ad Dominum adorans, petiit, ut unus eorum ad dexteram ipsius aliquando regnantis sederet, & alter sinistram. Quibus respondens Dominus: *Nescitis, inquit, quid petatis; potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. At illi: calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Id est, non sic immeritis aut personis favore datur sicut putatis, sed oportet unumquemque illudante meriti secundum gratias ipsi à Deo datas. Secundum formam servati loquitur, inquit S. Augustinus. Divus verò Hieronymus sic paulò fufius: *Ragnum Dei, non est tantum danti, sed etiam accipienti; quicumque se dignum præbuerit, accipiet quod non persona sed vita paratum est*.

Sapienter autem monet sanctus Joannes Chrysostomus, non esse mirum si adeo imperfecti

Die 25. Iulij.